

diversitate casuum, ac præsertim ratione finis & objecti, ad quod intenditur, dijudicandum est. Sin enim casu sic ferente, in duplum damnator (uti ex ædilitio edicto potest. *l. quæ vulgò. 42. inf. ff. de edil. ed.*) egerit, & petitum obtinuerit; jam de simpli damni (quippe in duplo illo comprehensi) præstatione, quam noxalis actio principaliter persequitur. *l. i. pr. & §. cum arieres. 11. ff. si quadr. paup.* amplius agere non poterit; ne bis idem consequatur, contra *l. bona fides. 57. ff. de R. I.* Sin casus ponatur, quo actio ædilitia ad pœnam tantùm fuit intentata, veluti si liber homo ab ejusmodi animali læsus vel occisus fuerit; quo casu non æstimatio corporis, *l. ex hac lege. 3. ff. si quadr. paup.* sed pro occiso pœna ducentorum solidorum; pro qualiter qualiter læso arbitraria venit. *d. l. 42.*) nil causæ apparet, cur non & (utilis) noxalis actio ad persecutionem expensarum, in curationem factarum, itèmque operarum amissarum, amittendamque *d. l. 3. si quadr. paup.* supersit. *arg. l. si pro fure. 7. §. furti. 1. ff. de cond. furti detur.*

## CCCLXXXIII.

*An, si ex uno factò delictòque plures actiones nascantur, omnibus & singulis solidum persequi liceat?*

**N**ON: Sed si quidem separata seu distincta sint facta & delicta, pluribus etiam actionibus experiri licebit, & quidem singulis cum effectu *l. 2. pr. & §. seqq. ff. de priv. delict.* Ubi verò unum

num